

Aceti acerrimi libram unam, & semis :
 In fictile ad triduum macerentur omnia identi-
 dem agitando: tum evaporent in siccam massam,
 que vehementi igne per horam calcinetur.

CAPUT XIV.

DE EXTRACTIS.

§. I.

EXTRACTA PROPRIE DICTA.

EXTRACTUM ABSINTHII.

R Absinthii recentis contusi libras octo :
 In cucurbitam capitello munitam immitte, ac tri-
 duo macerari finito: postea M. B. duas circiter Aquæ
 uncias elice, quam serva. Eidem Absinthio affunda-
 tur Aquæ communis triplum, & facta per horas sex
 digestionem, bulliant ad tertiæ partis consumptionem:
 Liquor deinde exprimatur: Ovi Albumine clarifice-
 tur, & panno trajectus M. B. ad consistentiam crassi
 Electuarii evaporet; quo tepefacto permisceatur Aqua
 distillata, & in fictile obrurato servetur Extractum.

Similiter parantur Extracta

Herbarum Cherefolii,

Chamæpitys,

Cochleariæ,

Melissæ,

Nastur-

Nasturtii aquatici,
 Scordii,
 Florum Chamæmeli,
 Sambuci,
 Tanaceri,
 Radicum Helenii,
 Valerianæ, &c.

EXTRACTUM CENTAURII MINORIS.

Inciso, & confuso Centaurio affundatur Aquæ ferventis triplum, in qua maceratio fiat per diem, & noctem: postea bulliant ad medias: tum Liquor expressus, & clarificatus in fictile percoquatur ad formam Extracti.

Juxta eandem normam parentur Extracta

Herbarum Chamædrys,
 Trifolii fibrini, &c.

Florum Papaveris erratici, & simil.

EXTRACTUM CROCI.

Croci libra una cucurbitæ vitreæ indatur, & M.B. semuncia circiter Aquæ eliciatur, quæ servanda est: tum Croco Aquæ communis libras quatuor affunde: per duodecim horas digere, & Aquam bene saturam defunde, recentem toties addendo, ac digerendo, donec ea intingi desinat. Tincturæ omnes una commistæ percolentur, & in crassum extractum evaporent, cui reperfcto ea immisceatur Aqua, quam initio servandam esse diximus.

Z 2

EX-

EXTRACTUM SENNÆ.

Folia Sennæ mundata in Aquæ ferventis decuplo per horas aliquot macerentur. Post brevem ebullitionem tinctus Liquor exprimatur, & clarificetur: tum panno percolatus in Extractum evaporet. Dosis a scrupulo uno ad scrupulos duos.

*Eodem modo parantur Extracta ex Herbis
siccis inodoris.*

EXTRACTUM RADICIS GENTIANÆ.

R Radicis Gentianæ siccata, & contusa libras quatuor,
Aquæ communis libras quadraginta:
Trium dierum spatio macerentur: deinde bulliant ad tertiæ partis exhalationem: prælo Liquor expressus Ovi Albumine agitato clarificetur: panno trajectus in fictile decoquatur ad consistentiam Extracti.

Sic fieri possunt Extracta

Radicis Liquiritiæ,

Pæoniæ,

Sarsæ parillæ,

Tormentillæ, & similia.

EXTRACTUM MECOACANNÆ.

R Mechoacannæ libram unam,
Spiritus Vini rectificati,
Vini albi ana libras sex:
Incisam Mechoacannam matraccio inde: Vini Spiritum superfunde, ac diebus quindecim macerari per-

permitte: tum fortiter exprime, & Spiritum tinctum in vase repone: postea superstiti Mechoacannæ Vinum adjice: triduo digere, & exprime. Tincturas seorsum panno percolatas commisce, atque ex cucurbita M. B. distilla ad totum Vini Spiritum abstrahendum. Remoto tandem excipulo, & capitello in crassitudinem Electuarii per evaporationem redige.

Dosis a scrupulo uno ad scrupulos duos.
Eadem est præparandi ratio; & dosi Extracti Agarici.

EXTRACTUM RHABARBARI.

R Rhabarbari concisi libram unam;
Spiritus Vini rectificati,

Aquæ communis ana libras sex:

In Vini Spiritu dies octo macerari sine, identidem vas agitando: Spiritum tinctum exprime; tum Aqua Magmati adjecta M. B. triduum digere: per horæ dimidium bulliant: postea exprime, & cola. Tincturæ separatim percolatæ in cucurbitam effundantur, & imposito capitello M. B. Vini Spiritus evocetur: deinde evaporent ad justam Extracti consistentiam.

Similiter parentur Extracta

Chinachinæ,

Ligni Guajaci,

Visci Quercini,

Opii, quod exhibetur a grano dimidio, ad granum unum,

Radiciis Peucedani.

N.

N. Chinachinae Extractum diutius evaporando in formam siccam redigitur, ac Magisterium a nonnullis appellatur, quod alii adhibito solum Vini Spiritu conficere solent.

§. II.

SUCCI HERBARUM CONCRETI.

SUCCUS CONCRETUS ACETOSELLÆ.

A Cetosellæ Succus depurgatus in vase vitreato vaporet M. B. in Electuarii mollis consistentiam.

Sic parentur Succi concreti

Beccabungæ,
Cardui benedicti,
Cichorii,
Chelidonii minoris,
Fumariæ, &c.

§. III.

R O B.

ACACIA NOSTRAS.

Succus e prunis silvestribus maturitati proximis expressus, & percolatus in fictile vitreato vaporet M. B. ad Electuarii spissitudinem.

Eodem

Eodem modo condensetur in speciem Extracti

Succus e Baccis maturis

Ebuli,

Sambuci ;

*Similiterque paretur ex Fructibus Cucumeris
agrestis Elaterium, cujus dosis a granis
tribus ad sex.*

ROB BACCARUM JUNIPERI.

Baccæ Juniperi mundatæ, & contusæ in Aquæ
decuplo macerentur per dies tres : deinde ex alem-
bico, cui appositum sit capitellum cum refrigerato-
rio, distillantur usque dum Oleum essentielle una
cum Aqua prodire desinat, quod ab ea per infun-
dibulum separatum serva : tum superstes materia
prælo exprimatur. Elicitus Liquor per pannum
trajectus in patella vitreata evaporet in Extractum,
cui Oleum essentielle, quod asservatum fuit, accu-
rate admisceatur.

SAPA VINI.

Mustum ex uvis maturis expressum, & percola-
tum in fictile vaporet leni igne ad Syrupi consisten-
tiam.



§. IV.

§. IV.

RESINÆ.

RESINA JALAPPÆ.

R Radicis Jalappæ contusæ libram unam;
 Spiritus Vini alcoholisati libras octo:
 In lagena vitrea optime clausa per dies quindecim
 fiat maceratio, deinde calente M.B. per diem unum,
 alterumve digestio. Refrigeratis vasis defundatur
 cum expressione *Liquor tinctus*, & panno percole-
 tur: tum cucurbitæ vitreæ inditus, appposito capitel-
 lo eatenus eliciatur, ut Extractum remaneat instar
 liquidæ Terebinthinæ; quod Aqua prius immersum,
 & ablutum repido loco exsiccat. Dosis a granis
 decem ad quindecim.

Simili modo extrahi possunt Resinæ
 Mechoacannæ, cujus dosis a granis
 quindecim ad viginti;

Scammonii) quorum dosis a granis octo
 Turpethi) ad duodecim.



CA-